

Glauber Joannem Rudolphum.

De Auri Tinctura.

sive AURO POTABILI VERO.

Janssonium Joannem. Amsterodami.

1651 .

Avertissement au lecteur.

Le format de ce document est une photocopie texte, c'est à dire est exactement conforme à l'original, au caractère près. Ainsi la pagination, le nombre de lignes par page et le nombre de caractères par ligne est respecté, permettant ainsi une recherche facile des références citées par d'autres auteurs. Seules les pages blanches sont supprimées pour faciliter la lecture.

Les éventuelles erreurs d'orthographe, de numéro de page, etc... du document sont en principe identiques à l'original. Cependant malgré le soin apporté à la mise en texte de cet ouvrage, il peut subsister des différences par rapport au texte original. En effet la procédure de création de ce fichier texte, à partir du livre original, nécessite un grand nombre d'opérations délicates, laissant place à d'éventuelles erreurs.

En cas de doute, prenez le soin de vérifier sur le texte original du livre papier.

(C) Copyright 2014 by Jean Pierre Donabin. Site : livres-d-hermes.fr

DE AURI TINCTURA
Sive
AURO POTABILI
VERO.

Quid sit & quomodo differat ab auro
potabili falso & Sophistico

*Quomodo Spagyricè preparandum & quomodo
in Medicinâ usurpandum.*

Per

JOANNEM RUDOLPHUM
GLAUBERUM.



AMSTERODAMI,
Prostant apud JOANNEM JANSSENIUM
cib Idc LI.

DE AURI TINCTURA

Sive

AURO POTABILI
VERO.

Quid sit & quommodo differat ab auro
potabili falso & sophistico

*Quomodo Spagyricè praeparandum & quomodo
in Medicinâ usurpandum.*

Per

JOANNEM RUDOLPHUM

GLAUBERUM.



AMSTERODAMI,

Prostant apud Joannem Janssonium,

MDCCLII.

SG23

DE AURO POTABILI.



Eros illos & antiquos Philosophos vitae longae studuisse & sanitatis conservacioni, nemo est qui ignoret; quo factum ut diligenter subjectum illud sanitatis conservandae vitaeque prolongandae quaesiverint: quare ignis beneficio instituere cunctorum vegetabilium, animalium & mineralium separationes & examina, quaerentes vires illorum & virtutes; qui maximam omnium tam in coelis quam in terris reperere harmoniam inter Solem, aurum, hominem & vinum. Negari enim nequit à calore solis vitam proficisci cunctorum; quare aurum, solem terrestrem sive corpus fixum & perfectum solis radiis causatum, cum homine unire quaesiverunt beneficio vini spiritus.

(Sed forte fortuito erunt, quos offendet haec mea narratio, negantes aurum esse Solis prolem, vel corpus fixum & perfectum metallicum, perfectum à solis radiis; interrogantes quomodo solares radii immateriales, materiales & corporales fieri queant? cum primis ignari metallorum mineralium que generationis. Etsi autem non decreveram nunc scribere de Metallorum generatione & origine; non tamen, conatus demonstrare solis in auro (destructo & volatilizzato) vim vivificantem esse reperibilem, & in salutem medicinam humanam praeparabilem; intermittere volui ignorantium & incredulorum gratiâ demon-

stare veritatem uno vel altero exemplo :
 quam etsi luculenter demonstrare possem certissimis rationibus & firmissimis, brevitas tamen causâ nunc illas omittere decrevi, recommendans indagatori metallorum naturae & proprietatis, Tractatum nostrum *De Generatione Mineralium*, qui omnem ipsi scrupulum adimet sine dubio; reluctatori verò veritatis duas objiciens quaestiones & rationes confutandas. Et quidem primo unde proveniat incrementum illud & quantitatis & qualitatis liquoris alicujus viscosi mineralis diu soli expositi in vasculo vitreo patulo? utrum à sole vel aliunde?

At instas, ab aëre illud proficisci incrementum, omnium rerum vehiculo. Cui: si ab aëre, utrum non à sole impraegnatus aër, utrum etiam aliquid in aëre, quod non acceperit ab astris?

Caeterum colloca ejusmodi liquorem in cellâ frigidâ, vel in aëre humido, & reipsâ nullum ponderis incrementum inde factum experiere, que madmodum in sole, vel ejus vicario scilicet. Attrahet quidem ille liquor humiditatem aliquam phlegmaticam~, sed quae facile iterum separatur sentiens calore~, relicto liquore ponderis prioris. Id ipsum probari quoque potest & demonstrari exemplo sequenti. Solve metallum quoddam sulphureum utpote ferrum, cuprum vel zincum, vel quo vis alio spiritu acido; denuoque abstrahe spiritum; remanentiam candefacito, non tamen nimis, sed quantum sufficit ad omnimodam ablationem spirituum; quam postea (observato

vato prius illius pondere) crucibulo immissam colloca in igne, cave tamen ne fluat materia sive metallum, sed saltem obscure candeat cum crucibulo, trium vel quatuor septimanarum spatio: quo facto exime iterum & libra denuo metallum, & reipsa evidens experiere metalli tui incrementum: quod evidentius sequenti ratione percipies; colloca cuprum vel aliud metallum sulphureum cum 16. vel 18. partibus plumbi in cupellâ optimè crematâ, factâ è cineribus ligni vel ossium, in fornace docimasticâ (observato prius exactissime pondere cupellae, cupri & plumbi) facitoque igne (sed non nimio) cum plumbo evanescere cuprum: quo facto exime cupellam ubi refrixerit, denuoque illam libra, & reperies illam longe graviolem & ponderosiolem, ita ut pondus ejus (quantumvis multum plumbi etiam in auras abiverit in cupellatione) pondus non modò pristinum proprium, sed etiam cupri & plumbi excedat factâ cupellatione. Quaeritur igitur merito, unde hoc proficiscatur incrementum utrum non ignis calor fuerit coagulatus in corpus metallicum beneficio metalli illius soluti? Verisimile igitur videtur, quod si sciremus matrices invenire metallicas in terrae superficie, in quibus solis radii, ignisque calor recepti coagulari possint, in iis aequae ac in terrae visceribus generati possint metalla.

At instas, verisimile esse calorem ignis vulgaris habere secum quid metallicum, quod sit attractionis beneficio metalli fusi in cor-
aa 3 bile,

bile, sed non item in radijs solaribus.

Qui veritatem sic experiti poterit; exponat nimirum solis radijs cupellam optimè crematam una cum cupro & plumbo, cui opponat speculum concavum, ita ut feriatur à radijs solaribus in centrum collectis, indèque calefiat: Oportet autem continuo in manu tenere speculum, ut juxta solem illud vertere, sive dirigere possis juxta solis cursum; ne cupella refrigescat aversis solis radijs, opusque impediatur: quod si rite observatur, perpetrabitur opus non minus quàm in fornace ignis calore candente.

Oportet autem habere speculum ad minimum in diametro latitudinem duorum pedum, nec nimis esse profundum, sed saltem habere in profunditate 18. vel 20. partem globi, ut eò longius radios exserere possit: oportet etiam exactissimè esse laevigatum, quo rectissimè colligere possit in centrum sive punctum radios. Horum autem speculorum praeparatio non est hujus loci, dabitur autem in Parte Quartâ nostrarum fornacum, ubi docebitur, non solum quomodo formanda è metallis, sed etiam è vitro, & quomodo polienda & laeviganda, quomodoque usurpanda.)

Haec Parenthesis & demonstratio quae aliàs omitti potuisset, propterea apposita ut appareat quomodo aurum à Sole profectum, solisque viribus & proprietatibus occulte praeditum, arte Chymicâ reducibile in id quod fuit ante sui coagulationem; nimirum in spiritum quendam calefacientem & vivificantem, vires suas & dotes huma-

humano corpori communicaturum. Magnam igitur veteres diligentiam adhibuerunt in auri reductione; in quâ nihil praestantius reperere vini spiritu purissimo & subtilissimo destillationis beneficio facto. Non autem elegerunt aurum commune eliquatum è lapidibus, vel elorum ex arenâ; sed ignis beneficio purgatum, philosophicèque vivificatum & reseratum, non quidem adminiculo spirituum corrisivorum, usitato more Chymicorum vulgarium, sed aquae alicujus beneficio, quam natura dat sponte absque destillationis ope violentae; per quam id quod occultum in auro manifestârunt, manifestumque occultârunt; ac proin aptum illud reddidere separationi animae nimirum ejus sive Tincturae à corpore crasso & nigro superfluo. Sciverunt enim nullam habere affinitatem cum spiritibus vitalibus auri corpus compactum: quare ad elixir suum elegerunt auri partem solummodo subtilissimam, colorem ejus nimirum sive Tincturam, quam cum vini spiritu conjunxerunt radicaliter, junctaque spiritualia simul sive volatilia reddidère, ita ut neutrum ab altero in igne iterum separare potuerit; & quidem in igne simul vel sublimabilia, vel fixalongiore digestionem in lapidem fixum coagulata, quem pro summo in hoc mundo habuerunt thesauro.

Philosophis igitur illis antiquis affirmantibus & confirmantibus, praestantior non esse sub sole Medicinam illâ, quae fit ex unione philosophicâ vini & auri, eorumque volatilisatione, & re-

coagulatione & fixatione inseparabili; nec sine auro vini spiritum, nec hunc sine illo in medicinam elaborari posse; quia aurum sine vini spiritu volatile reddi nequit, nec hic sine illo coagulari & fixari potest; haud immerito nos posteri sequimur placita virorum clarissimorum non quidem illorum authoritatis causâ, severitatis oculariter demonstratae gratiâ, quae vera & genuina proba.

Datâ igitur mihi ab Altissimo cognitione hujus Medicinae praeparationis, decrevi quia non sibi soli natus homo, ejus brevibus dare praeparationem & usum: Non autem projiciam margaritas ante porcos; sed solummodò diligentibus indagatoribus operum Dei & naturae monstrabo viam; qui sine dubio hoc meum intellecturi scriptu~; sed non item alii ignati nimirum & imperiti. Neminem igitur offendat praeparationis brevitatis, quia non cogito artem (divinitus impetratam; non otio, sed multis vigiliis, laboribus atque precibus) prostituere, nec offam praemansam administrare indignis, sed solummodo communicare piis, qui rem sic se habere oculis videbunt apertis. Neminem etiam, quaeso, offendat styli simplicitas, rhetoricis figuris non ornatum more solito: *veritas enim non indiget verborum copiâ & elegantîâ*, contenta simplicitate & paucitate, quâ facilius meliusque demonstratur quàm intricatis illis & sophisticis discursibus.

Antequam autem praeparationem aggrediar, brevibus & paucis delineabo veri spagyri conditiones

tiones & qualitates, aggressuri tantum opus, ut examinare se habeat quilibet, qui hanc in se suscipit provinciam. Non enim sufficit scire accendere ignem, nec destillare aquas vegetabiles, sed vera tam superiorum quàm inferiorum elementorum fructuum requiritur cognitio, & cumprimis pietas.

Nec loquacitas sed multarum rerum cognitio facit Chymicum. Nemo est qui negare possit artem jam diu quaesitam à multis annis à variis, ad usque diem hodiernum multis & laboribus & sumptibus, à paucissimis verò inventam.

Non autem miror, tantum Dei donum paucissimis saltem quibusdam hactenus communicatum fuisse, quotquot enim novi, omnes ferè & singuli, paucissimis exceptis recto tramite inceserunt.

Nonnulli enim divitiis suis confidebant, cogitantes violenter sibi comparare artem, quia valebant extruere laboratorium egregium, multos alere operatores, & copiam comparare vasorum, mineralium & carbonum, non considerantes dictum apostoli. *Non est currentis aut volentis, sed o-*

lius Dei miserentis.

Alii quorum eruditio in variis consistebat linguis, honorabantur ob loquacitatis elegantiam inanem, sibi solis artem attribuentes, sibique persuasi quod omnia Elementa ad nutum suum haberent propter sapientiam & eruditionem putatitiam; non considerantes verba Christi: *Parvulis revelasti, magnis verò & sapientibus abs-*
a a 5 *condidisti,*

condisti. Qui prorsus sibi persuasi, quod gramen crescere videant, terram matrem ejus non cognoscentes; quibus si non omnia ad nutum succedunt, non verentur piissimos calumniari Philosophos, illosque mendacij insimulare, artis-que nullitate suam palliare inertiam & inscitiam: qui rem sese longe aliter habere judicaturi, si occultum sensum Philosophicum non ignorarent. Sed quia superbiâ excaecati, non mirum quin loco nuclei arripiant corticem, ac proin ad optatum non perveniant finem.

Tertium genus est *avarorum* divitias in otio quaerentium à circumforaneis illis Chymicis, Chymiam & naturam ignorantibus aeq; ac discipuli sui, mineralium & metallorum nullam cognitionem habentibus, nec Philosophorum scripta intelligentibus: Cum quibus si confertur de metallorum natura & proprietatibus, nihil praeter lecta & audita habent quod respondeant; nimirum ita scriptum est, & sic se habet processus noster; sic igitur procedendum, & talis non alia requirirur materia, adhaerentes literae, non considerantes, utrum author sui processus peritus ipse fuerit vel imperitus, utrum ab experienciâ vel aliorum librorum lectione mutuaverit sua scripta. Quibus etsi traderetur vera & genuina informatio naturae, mineralium & metallorum, secretorumque Chymicorum cognitio, non tamen credituri essent, veritatem simplicem contempturi ceu dementiam in laboribus suis simplicibus, non sumptuosis nec taediosis. Ab hujus farinae homi-
nibus

nibus quaeruntur divitiae ab avaris, pendentes pro processu aliquo nullius omnino pretii aliquot 100 vel 1000 &c. venalem esse artem arbitrantibus, non considerantibus, mercatorem artem bonam & certam pro se servaturum aliorumque pecunias non quaesiturum.

Non tamen negaverim artificem aliquem possessorem esse posse secreti alicujus, vel proprio Marte inventi, vel sibi ab amico traditi, quod ob inopiam in actum ipse producere nequit, ac pro in aliorum opes implorare opus habet, non enim semper opes & artes sibi fiunt obviam; quibus haud immerito succurritur à divitibus divinâ fretis benedictione. Sed cautio hîc habenda, ne oculus sit fructus tempore messis, floreni segetis, cum maximâ jacturâ & opum & famae.

Quis adeò caecus etsi monocus, qui non animadvertat nugas ejusmodi thrasonum avarorum: Etsi sol divinâ savente gratiâ tam impios & improbos quam probos affulgeat & pios, auditum tamen nunquam fuit, Philosophorum verorum ullum fuisse garrulum nugivendulum, in secreto secreta tractantium. Cumprimis autem mirandum doctissimos etiam hujus seculi, sapientissimosque sive prudentissimos adeò esse excaecatos, ut velint decipi ab ejusmodi nebulonibus circumforaneis.

Qartum genus quaerentium alterius conditionis homines sunt, non opes & divitias, honoresque quaerentes, sed solius Dei gloriam, proximique commodum, contenti victu & amictu
sim-

simplici; non superbi & gloriosi, sed pij & honesti, loco annulorum aureorum carbones attritantes, non multorum hominum socii, silentes, secretorum naturalium contemplatores, quaerentes & inveniendes divinâ assistente gratiâ; non confidentes antiquorum Philosophorum scriptis, sed doctori omnium Deo altissimo, cujus benignitas eadem nunc, quae fuit olim Philosophorum temporibus qui artem suam flagrantibus precibus à Deo impetrarunt. Atque his accidunt artes & quidem praeter spem & expectationem, earundemque usurpandarum usus & utendi methodus.

Quare singuli hanc aggressuri artem sedulo sese examinent. Neminem enim, qui non ex horum ultimorum numero, suae juvabunt opes, eloquentia & imaginata eruditio, quia haec ars solius Dei donum est, non hominum. Auditis igitur proprietatibus veri spagyri Messoris fructuum arboris aureae, aggressurus sum nunc praeparationem Tincturae solis per manum artificis periti & exercitati, & demonstraturus differentiam verae & falsae Tincturae, nec-non usum verae medicum prosligandorum multorum morborum gratiâ; ut nimirum sequitur.

R̄

Auri vivi part.I. & part.3. Mercurii vivi non vulgi, sed philosophici, ubique reperibilis sine sumptibus & laboribus (poteris etiam admiscere argentum vivum ponderis aequalis solari, & quidem rectius quâm solum aurum, ob varietatem colorum majorem proficiscentem à mixture

tione viri & foeminae: persuasus verò sibi de melioritate Tincturae, à solo auro proficiscente, admisceat solum aurum: non sic item metallorum peritus, qui noverit potentiam Unionis radicalis auri & argenti uno eodemque menstruo solutorum) mixta colloca in Vase Philosophico ad solvendum, & spatio $1/4$ horae radicaliter solventur à Mercurio mixta illa metalla, dabuntque colorem purpureum; postea auge ignem paululum, & mutabitur ille in viridem elegantissimum, cui exempto affunde aquam roris ad solvendum, quod fieri potest spatio $1/2$ horae solutionem filtra, & in B. per alembicum vitreum abstrahe aquam, quam vel recentem denuo reaffunde, iterumque abstraehere, atque hoc fac tribus vicibus & interea temporis viriditas illa mutabitur in colorem instar atramenti scriptorii nigrum, instar cadaveris foetentem, ac proin formidabilem: oportet autem aquam aliquoties abstrahere, reaffundere & digerere, & nigredo illa foetorque evanescent 40. horarum spatio, producent que albedinem lacteam elegantissimam. Quâ apparente omnem ad siccitatem usque abstrahere oportet humiditatem, quae massa erit alba & paucis horis lenissimo calore, apparentibus prius varijs coloribus vertitur in egregiam viriditatem priore longe excellentiorem: cui affundere oportet spiritum vini optime rectificatum ad eminentiam 2. vel 3. digitorum latorum transversorum; & aurum illud viride resolutum attrahet spiritum illum vini ob summam amicitiam, instar spongiae siccae attrahen-

trahentis aquam, ipsique communicabit animam suam sanguinis instar rubram; quâ ratione vivificâ suâ Tincturâ privatur viriditas illa, mutaturque in colorem rubrum, relicto corpore superfluo cinereo.

Tinctum decantare oportet spiritum, filtrare, & in B. per alembicum vitreum abstrahere à Tincturâ rubrâ artrahente igneam spiritus vini essentiam, ita ut arctissime jungantur & inseparabiliter, propter quam aqua saltem stillat insipida, relictâ virtute vini spiritus cum auri Tincturâ instar salis rubri ignei, fusibilis & volatilis; cujus gr. I. unciam integram spiritus vini, vel alterius cujusdam liquoris sanguineo colore tingere potest. solubilis enim est in quâvis humiditate, ac proin servari potest in formâ liquidâ pro Panaceâ plurimorum desperatissimorum morborum. Nunc etiam communicabo *proprietates verae Tincturae*, quibus dignoscitur verum aurum potabile. Haec Tinctura post lapidem praestantissima omnium medicinarum; inter quam & illum non nisi haec differentia: Anima auri est volatilis, nec ingressum habet in metalla imperfecta, ac proin in purum putum aurum transmutare nequit, quae virtus Philosoph. lapidi attribuitur. Anima etsi fit potissima & praestantissima pars auri, fixa tamen non est in igne sed volatilis; Philosoph. verò lapis fixus est in igne & permanens ob diuturniorem digestionem. Utrum verò anima illa sive Tinctura volatilis & leo ruber, ignis ope fixari possit & converti in Medicinam Uni-

versa-

versalem, lapidemque tingentem, id ipsum ignoro; quia praeterea nihil hactenus tentavi amplius &c. Poterit igitur qui animam auri extraxerit, ulterius facere periculum, utrum aliquid melius invenire possit. Hoc enim scriptum non nisi optimam auri docet Medicinam, caetera verò me latent ipsum.

Non igitur ignoratur dolus destillatorum vini, aliarumque aquarum vegetabilium, vendentium aurum potabile, non verentium quamvis aquam coloratam colore flavo vel rubro ignaris magno vendere pretio.

Aliorumque error, solventium auri compagem in aquâ reg. vel spiritu salis, quem denuò abstrahunt ad remanentiam siccam; cui, extractionis (sic dictae) gratiâ affundunt vini spiritum: quae tamen extractio non est, sed solutio aliqua particularis auri, spirituum corrosivorum relictorum ope facta in auro, flavo colore inficiens vini spiritum, quem sic coloratum suum appellitant *Aurum potabile*; cùm tamen illud vini spiritu abstracto sit reducibile in aurum: quod plus praestare nequit quàm quaevis alia calx auri, quam archeus digerere nequit, sed indigestam cum excrementis excernit.

Nec-non aliorum error semet ipsos una cum aliis ignoranter decipientium, peculiaribus mensuris & spiritibus auri calcem extrahentium ignorantium menstruum auro affusum ultro & sponte rubescere diuturniore digestionem, quod decantatum loco auri potabilis administrant; qui
si li-

si librarent calcem reliquam reducerentque, re ipsâ experturi essent, nihil auro omnino decessisse; quod etiam experiri licet collocando spiritum sive menstruum in leni calore, vel diutius in frigore, quod per se sponte rubescet ac si fuisset solis calci affusum. Est autem causa hujus rubedinis (incognita illis) non nisi sal quoddam urinosum volatile, utpote urinae, salis Armoniaci, Tartari, cornu cervi, capill. &c. colorem cujusvis sulphuris exaltans.

Quare artificibus admiscentibus vini spiritui, in quo sulphur quoddam delitescit, salia talia exaltantia, sequitur necessario, quod ille inde colore exaltetur ac proin rubescat! Quod idem etiam accidit illis qui Tincturam extrahere solent cum oleis destillatis sale volatili praeditis, qualia sunt oleum succini Cinamomi, caryophyllorum, fuliginis &c.

Est enim ejusmodi Tinctura sive aurum potabile inefficax, teste experientia.

Non autem dixerim, aliam nullam ex auro praeter dictam Tincturam esse praeparabilem medicinam: Solutum enim menstruis dulcibus ita ut non possit separari praecipitationis beneficio, mirabilia praestare potest in multis deploratissimis morbis, semper tamen eligendum metallum vivum loco mortui.

Verum enimverò aurum potabile non solum nomine & specie (quales sunt variae aquae flavo vel rubro colore tinctae) sed etiam aureis facultatibus & virtutibus praeditum esto, ita ut actu
 appa-

appareat ex auro esse confectum, irreducibile tamen per ignem in aurum, spirituale & penetrativum, roborans & recreans vitales spiritus, ut hostes suos evincere possint. Esto quoque hâc virtute praeditum, quod possit metalla imperfecta, comprimis Mercurium, Saturnum & Lunam convertere in aurum purum putum; non quidem ad instar Tincturae fixae, cum lucro tingentis metalla viliora in fluxu; sed saltem particulariter perficiens viâ humidâ digestionis beneficio, ubi pars aliqua duntaxat metalli convertitur in melius. Haec enim auri Tinctura sive sal est admodum volatilis, ita ut igni minime resistere queat; sed leni calore instar cerae liquescat & instar salis rubri sublimetur, solubilis in vini spiritu ita ut in usus Medicos venire possit.

Verum quoque aurum potabile gustatum, non esto corrosivum vel aëre, vel adstringens ad instar aliarum auri solutionum : Nec inficito manus, ungues & crines colore nigro vel fusco, sed potius elegantiores reddito: Nec inficito cuprum, ferrum, stannum, plumbum rubigine vel colore nigro, sed potius elegantiore colore. Nec esto corpus solis factâ extractione reducibile, nec in aurum album, quod colorem pristinum recuperare potest per Antimonium & aq. reg. sed esto instar terrae cinereae, lenique calore instar arsenici sublimabile, cupellae examen non indurans. Quibus dotibus si praedita, vera auri Tinctura dici meretur: sin minus non item, sed potius aurum quodda~ potabile Sophisticu~, à quo abstinendum.

De usu Medico hujus Medicinae Aureae.

D Emonstravimus supra auri originem esse solem, ceu incredibilibus Solis terrestres viribus praediti. Latent enim in ipso vires & virtutes omnium vegetabilium, animalium & mineralium; quae non nisi per Philosophum manifestari possunt separationis beneficio, partium nimirum intrinsecarum & puriorum, ab impuriore.

Hic tibi forte incredibilis, sive haud verisimilis videbitur fermo dicentis, aurum esse reducibile in esse spirituale, naturaeque humanae amicabile, viribus praeditum animalium, vegetabilium & mineralium cunctorum. Sane quem non Vulcanus creavit Philosophum, vix persuadebis ut credat. Sed quis tantas sibi creabit molestias omnes & singulas certis rationibus decidere controversias; quod etsi possibile, certis tamen de causis nunc omittitur; certitudinis tamen causâ relegatum volo Lectorem ad Partem Secundam Fornacum nostrarum, ubi inveniet quomodo ex Antimonio & Sulphure, ignis beneficio per Chymicum peritum, eliciatur non modò variorum vegetabilium vis & facultas, sed etiam odor naturalis; quae tamen in ijs non apparebant antequam radicaliter nimirum solvebantur. Quod si praestari potest per minerale aliquod imperfectum & foetidum, quid ni etiam per metallum perfectum & maturum?

Si boni essemus Physici, Chymicique diligentissimi,

simi, utique non opus haberemus officinas nostras tot replere cantharis & pyxidibus, nec tot sumptus impendere in species tot peregrinas medicinales adferendas, quia sine dubio viâ quadam faciliore, omnium vegetabilium vires & proprietates, animalium & mineralium, in paucis quibusdam subjectis congregatas reperire licet. Et sicuti vera solis Tinctura cumprimis fixa, omnium vegetabilium, animalium, mineraliumque viribus omnibus praedita; ita etiam merito illi adscribitur vis Medica curativa omnium morborum, sed cum discretione. Sunt enim variae chiragae & podagrae species, nec-non calculi & leprae, qui quandoque morbi sunt inveterati & incurabiles, quandoque recentes & curabiles. Quis igitur tam demens, qui omnium & singulorum morborum curationes *indifferenter* promittat facturus, per certam aliquam Medicinam? Nemo sane etsi ipsissimum haberet lapidem Philosophorum.

Saepe enim vesicae calculus vel excernitur vel excinditur durissimus aquâ forti insolubilis; quae Medicina non corrosiva dissolvere nequit; quas vires etsi nonnulli suae adscribant Medicinae, non tamen id actu praestare possunt. Non igitur sufficiunt promissiones, quas praestare nemo potest: *Promissa enim cadunt in debita*, id quod à paucis observatur; quare ab osoribus saepe artis optimatur veritas & spes boni successus Medicamentorum Chymicorum. *Melius igitur plus praestare quàm promittere*, & opus commendabit artifi-

cem. Quomodo Medicina penetrare potest ad extremas corporis humani partes, manus scil. & pedes, & solvere materiam coagulata lapidescentem, quam extra corpus nullum corrosivum dissolvere potest? sufficit si Medicina inveniens materiam viscosam, tartaream & salinosam, nondum prorsus coagulata, dissolvat & espellat. Id ipsum etiam intelligendum de calculo renum & vesicae. Hâc ratione adscribam & ego Tincturae meae solis curationem Chiragae, Podagrae, calculi renum & vesicae, tam in senibus quam in juvenibus; ita tamen ut necessitate exigente administrentur etiam cathartica specifica, & extrinsecè thermae succursus gratiâ, quo natura eò citius officium suum praestare possit. Oportet autem ante omnia non postponere divinam providentiam: saepe enim nos Deus affligit morbo quodam incurabili per artem, nisi placetur antea ira divina *humili Poenitentiâ*, quae *Medicina omnium optima*. Nec-non curationem omnium morborum à corruptelâ sanguinis profectorum, utpote leprae, morbi Gallici, aliarumque impuritatium; quae tolluntur per hanc Tincturam, si simul administrantur cathartica & diaphoretica, sanguinem prae ceteris Medicinis mundificantem & renovantem. Tollit etiam haec Tinctura cunctas obstructions hepatis, lienis, renum, aliarumque partium, quia calefacit, attenuat, incidit & evacuat, variorum morborum origines. Curat etiam omnes morbos violentos & acutos utpote epilepsiam, pestem, febres &c.

Pro-

Promovet menstrua retenta vetularum & juvenularum, cumprimis si etiam simul extrinsecè rite administratur: quâ ratione multae curantur feliciter misere aliter periturae. Calefacit & mundificat matricem prae omnibus aliis Medicinis aptamque reddit, muneri: Praeservat etiam illam ab omnibus accidentibus sterilitatem, aliosque gravissimos morbos, mortemque causantibus. Expellit hydropicorum aquam per urinam, rarefacit & exsiccatur humiditates superfluas partium internarum & externarum, ad instar Solis exsiccantis & consumentis aquas, quâ ratione corpus pristinam recuperat sanitatem. De caeteris morbis particularibus multa scire non opus est, quia utiliter in omnibus absque differentiâ usurpari potest & singulis, tanquam medicina catholica, in senibus & juvenibus. Non tatum solum amissam restituit, sed etiam praesentem conservat haec Medicina sanitatem ad tempus praedestinatum.

Dosis ejus est à gr. sive gutt. 3.6.9. usque ad 12. vel plures pro puerulis verò 1.2.3. cum vehiculis appropriatis, vel etiam cum vino & cervisiâ administrandae mane quotidie; quàm etiam aliquoties de die repetere licet dosin habitâ nimirum ratione aegritudinis.

Nolis autem offendi contumeliis calumniatoris hujus libelli (quarum diabolus cum squamis suis mendacibus semper author) firmiter credens tempus appropinquare, quanto irâ illâ divinâ tandem aliquando instar paelearum consumentur

hirci, illaesis ovibus pabulum domino lanâ & lacte gratitudinis ergo recompensantibus.

Atque sic finem faciam, sperans placuisse proximo: Sine enim dubio qui rite usurpaverit Medicinam hanc auream, bene se habebit, cum primis sursum mentem elevans (peccata sua agnoscens) ad Deum datorem & creatorem omnium bonorum, implorans ejus auxilium & benedictionem in filiali humilitate. Qui Deus omnipotens paterque misericors in hâc nos vitâ dignati velit temporali suâ benedictione, prosperâque valetudine & tandem aliquando ex merâ suâ gratiâ divinâ, vitâ aeternâ, Amen.

FINIS.